This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

769
S361

UNIV. OF CALIFORNIA
II 130

EINLADUNG

zur

feierlichen Eröffnung

der

neuorganisirten

Aargauischen Cantonsschule

am 28. April 1836.

Ausgegeben

von dem gegenwärtigen Rector der Cantonsschule,

Dr. Carl Fr. Schnitzer, Prof.

Inest Quæstionum Ciceronianarum Particula prima.

AARAU 1836.

Gedruckt bei Gottl. Friedr. Beck.

UNIV. OF
CALIFORNIA

UNIV. OF
CALIFORNIA

In Folge des Gesetzes vom 8. April 1835 ist die Aargauische Cantonsschule neu organisirt worden, und hat auch die bisher als Privatanstalt bestandene Gewerbschule in sich aufgenommen. Als solche Gesammtanstalt trat sie schon im November vorigen Jahres ins Leben; da aber das verflossene Winterhalbjahr nach dem Gesetz §. 140. nur als Uebergangs-Cursus betrachtet werden kann, so wird sie nun am Donnerstag den 28. April d. J. feierlich eröffnet werden.

Die Feier wird also statthaben: Nach der Beeidigung sämmtlicher Lehrer vor dem hohen Cantons-Schulrathe werden die Mitglieder der Cantonsschul-Pflege und die Lehrer, Vormittags 9 Uhr, mit den Cantonsschülern vom Schulgebäude aus sich in den grossen Rathssaal begeben. Hier beginnt die Eröffnung mit Gesang, an welchem Cantonsschüler Theil nehmen. Darauf werden nacheinander zwei Reden folgen, nur durch Gesang unterbrochen. Die Feier schliesst mit Gesang.

Eltern unserer Schüler und Freunde der Anstalt werden zur Theilnahme an dieser Feier höflichst eingeladen. Der mit dieser Einladung Beauftragte benutzt diese Gelegenheit, dem Publikum einige Nachrichten über den gegenwärtigen Stand der Schule mitzutheilen, und schliesst daran nach Gymnasial-Gebrauch eine kurze lateinische Abhandlung.

597006

I. Lehrerpersonal.

A. Hauptlehrer.

Für		
Alte Sprachen und Literatur . . . . . nebst Philosophie	Herr	Schnitzer, Rector.
	„	Prof. Rauchenstein.
Französische Sprache und Literatur . .	„	Jeanrenaud.
Deutsche Sprache und Literatur . . .	„	Haupt.
	„	Rochholz.
Geschichte und Geographie	„	Aebi.
	„	Hagnauer.
Mathematik	„	Moosbrugger.
	„	Rytz.
Naturgeschichte und Anthropologie . .	„	Fleischer.
Physik		Vacat.
(Das Fach wird von den Lehrern der Mathematik und der Chemie ausgefüllt.)		
Chemie und Technologie	„	Wibel.

B. Hülfslehrer.

Für		
Religionsunterricht	Herr	Frey.
	„	Sommerhalder.
Englische und italienische Sprache . .	„	Rödiger.
Kunstzeichnen	„	Belliger.
Linearzeichnen, Modelliren, Maschinenkunde	„	Baldeschwyler.

Für

Gesang . . . . . Herr Fröhlich.

Schönschreiben . . . . . „ Schmuziger.

Schwimmen und Turnübungen leitet ein Hauptlehrer, Herr Aebi.

II. Schüler.

Die Zahl der Schüler war im verflossenen Winterhalbjahr 105, im Gymnasium 53, in der Gewerbschule 52, wovon einer mit Tod abgieng. Entlassen mit Zeugnissen wurden 12: vom Gymnasium 4, nämlich 2 aus der IV. Classe, 2 aus der II.; aus der Gewerbschule 8: einer aus IV., einer aus III., 3 aus II., 3 aus der I. — Promotionen finden diesmal bei der Gewerbschule regelmässig, beim Gymnasium ausnahmsweise Statt. In Zukunft werden Aufnahmen und Promotionen nur im Frühjahr vorgenommen. (Ges. §. 140.)

Der Besuch der Cantonsschule ist für Cantonsbürger und Auswärtige (deren etwa ein Dritttheil ist) unentgeltlich. Für die Benutzung der Bibliothek, des Laboratoriums etc. wird eine mässige Gebühr entrichtet.

III. Unterricht.

Durch Beschluss der Tit. Cantonsschul-Pflege vom 19. April d. J. ist der Unterricht in folgender Art unter die Classen vertheilt worden.

A. Am Gymnasium.

	I.	II.	III.	IV.	
Latein	8	7	8	8	Stunden.
Griechisch	5	5	6	6	
Philosophie	—	—	—	4	
Französisch	3	3	2	2	
Deutsch	4	4	4	4	
Geschichte	3	3	3	2	
Geographie	3	3	—	—	
Mathematik	4	4	3	—	
Naturgeschichte	—	(4) 3	3	—	nebst 4 Stund. Excursionen gemeinschaftlich mit der Gewerbsch.
Physik	—	—	—	3	
Zeichnen	4	4	—	—	
Religion	2	2	1	1	
Gesang	2	2	2	2	
	38	38	32	32	

B. An der Gewerbschule.

Deutsch	6	4	3	3	Stunden.
Französich	4	3	3	2	
Italienisch	2	2	—	—	
Englisch	—	—	2	2	
Geschichte	3	3	—	2	
Geographie	3	3	—	—	

	I.	II.	III.	IV.	
Statistik und	—	—	2	—	Stunden.
Nationalökonomie	—	—	—	2	
Mathematik	6	6	8	10	
Naturgeschichte	4	4	3	3	mit 4 Stunden Excursionen.
Anthropologie	—	—	—	(3)—	
Physik	—	4	3	—	
Chemie	—	—	6	8	
Zeichnen.	(6) 8	(6) 8	(4) 6	(4) 6	
Modelliren	—	—	3	3	
Maschinenkunde	—	—	—	2	
Rechnen	2	2	—	—	
Religion	2	2	1	1	
Gesang	2	2	2	2	
Schönschreiben	2	2	—	—	
	44	45	42	47	

Ausser Religion und Gesang haben beide Abtheilungen auch gemeinschaftlich im Sommer täglich 2 Stunden Leibesübungen.

Turnübungen	4	Stunden wöchentlich.
Exerciren	4	
Schwimmen	4	

Im Winter Turnübungen 4 Stunden.

Die eingeschlossenen Zahlen gelten für den Winter.

Der Anfang der Lectionen ist auf den 29. April festgesetzt.

IV. Disciplin.

Jeder Cantonsschüler legt bei seinem Eintritt in die Hand des Rectors und der Lehrer das Gelübde ab, nachfolgende Bestimmungen der Statuten treulich und gewissenhaft zu beobachten:

1) Seinen Lehrern und Vorgesetzten Achtung und Folgsamkeit zu beweisen.

2) Die ihm angewiesenen Lehrstunden pünktlich zu besuchen, und ohne besondere Erlaubniss oder im Fall von Krankheit ohne Anzeige und schriftliche Entschuldigung keine zu versäumen.

3) Seine Zeit nicht an nutzlose, von einem Lehrer ihm abgerathene Lectüre oder ähnliche Beschäftigungen zu verschwenden.

4) Aller Orten sich ruhig, anständig und, wie es die Ehre eines Cantonsschülers erfordert, zu betragen.

5) Den Besuch aller Caffee- und Wirthshäuser, so wie das Tabakrauchen und das Spielen um Geld zu unterlassen.

6) Den öffentlichen Gottesdienst fleissig zu besuchen.

Quæstionum Ciceronianarum Particula prima.

Magna hoc tempore est hominum antiquis literis eruditorum contentio inquirentium veram uniuscujusque libri veteris originem atque auctoritatem. Hoc genus in Cicerone felicissime auspicatus est F. A. Wolfius, clarissimus ille philologorum princeps, qui quum orationes istas quatuor, a Marklandio addubitatas („pro domo, post reditum in Senatu, ad Quirites, de haruspicum responsis"), et brevi postea quintam, quæ pro Marcello est, omnes spurias esse docuisset, fusa quadam ex tempore suspicione primus de origine orationum, quas Catilinarias vocant, etiam nonnullorum dubitationes movit. Jamque ejus alii vestigia cupidi legere cœperunt: quorum novissimam in hac re operam, nunc data occasione, breviter nos percensendam suscepimus.

Sed unum est, quod præmoneam. Sicuti enim recte recentiores critici, qui verba et sermonem scriptorum veterum excutiunt, veterum codicum auctoritati plurimum concedendum neque nisi cogente linguæ lege ac ratione ab his fontibus discedendum esse statuerunt: ita opinor iis, qui libri cujuslibet universi auctoritatem disputant, ne nimia succrescat abjudicandi audacia, id fore præscribendum, ne ab antiquorum auctorum fide ultro vel temere discedant. Verum id quidem non satis cautum esse in Tulliana causa mihi videtur a duobus viris doctis, AHRENSIUM dico et AURELIUM Turicensem: quorum alter primum ingenii et eruditionis periculum fecit in abjudicanda Ciceroni Catilinaria quarta [1]); alter de Ciceronis

[1]) M. Tullii Ciceronis quæ fertur oratio quarta in Catilinam. Recognovit, commentariis instruxit, a Cicerone abjudicavit E. A. J. Ahrens. Cob. 1832. inde a pag. 32 ad 214 usque.

operibus diu optime meritus illius sententiam nuper ascitam haud satis firmis sustinere argumentis conatus est [2]).

Ordiar ab extremo. Nota quidem omnibus hæc sunt, quæ Ciceronis in Ep. ad Atticum II. 1. §. 3. continentur:

„Orationculas, inquit, et quas postulas et plures etiam mittam: quoniam quidem ea, quæ nos scribimus adolescentulorum studiis excitati, te etiam delectant. Fuit enim mihi commodum, quod in eis orationibus, quæ Philippicæ nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes et quod se ab hoc refractariolo judiciali dicendi genere abjunxerat, ut σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος videretur, curare, ut meæ quoque essent orationes, quæ consulares nominarentur. Quarum una est in Senatu Kal. Jan.; altera ad populum, de lege agraria; tertia de Othone; quarta pro Rabirio; quinta de proscriptorum filiis; sexta quum provinciam in concione deposui; septima, qua Catilinam emisi; octava, quam habui ad populum postridie, quam Catilina profugit; nona in concione, quo die Allobroges involgarunt; decima in Senatu Nonis Dec. Sunt præterea duæ breves, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariæ. Hoc totum σῶμα curabo ut habeas. Et quoniam te quum scripta tum res meæ delectant, iisdem ex libris perspicies et quæ gesserim et quæ dixerim; aut ne poposcisses, ego enim tibi me non offerebam."

Quatuor igitur orationes in causa Catilinæ et conjuratorum a se peroratas ipse refert Cicero. At quartam, quæ hodie restat, Ahrensius spuriam esse perseverat, secundam Cludius, Wolfius suspicatur tertiam. Quid ergo? — Aut veræ omnes, aut hæ, quas

---

[2]) M. Tulli Ciceronis orationes selectæ. In usum scholarum edidit &c. &c. J. Casp. Orelli. Turic. 1836. Inprimis pag. 173—182.

modo nominavi, non solum spuriæ sed fictitiæ sunt, et Cicero plures una in Catilinam orationes non dixit. Ita AURELIUS; et id quidem acute. Nam „si fidem, inquit, tribuimus testimonio illi ad Atticum, aut omnes quatuor ipsi Ciceroni tribuendæ sunt, aut, qui tres ei abjudicat, eo confugere habebit necesse, ut eas quæ nunc exstant a rhetore confectas esse, veras interisse dicat." Hoc alterum fieri potuisse ea ætate, qua cum maxime florerent literæ latinæ, totus negat. Quid vero Cicero? Nodum hunc Vir doctissimus ita dissecuit, ut Ciceronem in sua ipsum causa prorsus intestabilem fecerit, et locum supra descriptum omnem inculcatum esse declaret. In quo tria sunt, quæ animum advertas, quæ ego subinde diligentius examinabo. Nam primum negat Ciceronis esse illud testimonium: deinde interpolatam affirmat Ciceronis epistolam ab ipso nescio quo falsarum orationum auctore, quo magis hic fetui inquilino fidem apud æquales suos faceret; quantum denique ad quartam, de qua sermo hic sola fiet, negat illo die habitam a Cicerone esse hujusmodi orationem. Argumenta autem primæ sententiæ fere hæc sunt. Ceterum operæ pretium est ipsum audire; sic enim Vir Cel. ingenue fatetur: „Vere autem dicere possum, me eo jam tempore, quo nondum satis perspecto toto trium Catilinariarum dicendi genere Wolfium tantum animi causa, vel ut credulis discipulis illuderet, vel ut unius alteriusve sagacitatem periclitaretur, alteram ex mediis duabus in νοθείας suspicionem adduxisse rebar [3]), sæpius hæsisse

[3]) Dixerat enim Vir Cel. alio loco, ubi Wolfianæ suspicionis mentionem fecerat: „subridens virum summum ita jocari vehementer lætatus sum." Wolfius tamen, si vitæ ejus scriptori credas, postea tertiam diserte notavit, quam spuriam haberet, de qua sæpius in hunc modum fabulatus esse dicitur, „Noch an einer hätte ich die Unächtheit zeigen mögen; vielleicht habe ich,

in verbis nonnullis epistolæ illius ab omni Ciceronis consuetudine prorsus abhorrentibus. Sunt autem hæc: refractariolum judiciale dicendi genus; a dicendi genere se abjungere; oratio, qua Catilinam emisi; Allobroges involgarunt."

Notanda igitur Vir doctissimus putat „tria ἅπαξ λεγόμενα, ἄχνρον quartum." At vero vocem refractariolum impostor certe ex suo ingenio non inculcasset, cum in Bruto c. 87. hocce exemplum haberet utique ciceronianum: Thucydides hoc forense, concertatorium judiciale non tractavit genus. Sin e communi dicendi consuetudine posuit, equidem non video, cur Cicero non posuerit, præsertim cum et omnino jocatus in illa epistola et rem ipsam detrectaturus fuerit. Propterea etiam de industria abjungere verbum poëticum inseruisse mihi videtur, quo quasi jugum significaret istud forense genus; tamen idem verbum translatum in Commentar. de B. Gall. VII. 56. („abjuncto Labieno") tuentur editores. Verbi deinde involgare AURELIUS ipse certum auctorem affert A. Gellium (N. A. III, 11. adde ex Forcellino IV, 9. XX. 5.); et rectius forsan illud dictum a Cicerone videbitur, quia Allobroges rem non statim indicarunt magistratui. Quanquam hoc loco non ita abjicienda erat lectionis varietas, quam Cod. vetustissimus præbet cum veteribus edd. Ἄχνρον denique appellat Vir Cel. illud emisi; nam ne mirum quidem quod notavit in Ed. Opp. hoc: oratio qua emisi; licet in Cod. Medic. quo i. e. ipso indicante AURELIO

---

die ich meine, schon in calore sermonis genannt; dass es nicht gehen kann, wie mit der Marcellina. Diese Demonstration aber gab ich auf, so oft ich daran ging. Es schien mir zu schwer, die Indicia so deutlich wie bei den fünf andern darzulegen, weil sie eben nicht so deutlich da sind." F. A. Wolfs Leben von Körte; T. II. p. 126.

quom legatur; ut mirum sane videri possit, quod Vir dd. non isto suspicionis tempore hanc lectionem probaverit. Sed illud emisi pro egredi ex urbe jussi (in Pis. 2, 5.) vel pro emisi ex urbe (p. Sulla §. 17. Catil. II, 1.) aliquando in sermone familiari eoque satis neglecto occurrit, non tamen in publica oratione. Ceterum si vel acrius nos vexaverit Vir liberalissimus, ego ad Livium provocabo, qui sexcenties et hostes et milites emisit nulla condicta conditione.

Jam vero tria sunt in epistola enunciata, quæ AURELIO dubitationem movent. Etenim nescio an industrius quam negligentius Vir dd. „moveant" scripserit; at primum, scholastici, inquit, nescio quid redolent illa: „ea, quæ nos scribimus adolescentulorum studiis excitati;" in quibus maxime eam modestiam agnoveris, quam plerumque Cicero in exordiis librorum provectiori ætate editorum ostendit. Sed hoc est nodos quærere in scirpo. Verum his, quæ sequuntur, vereor ne quis ludere me censeat, quum bonus AURELIUS suum Ciceronem tanquam pædagogus ita garrientem facit, ut „longe et simplicior et verior" hæc futura sit sententia: „quemadmodum enituit Demosthenes in Philippicis — in quibus quidem illud judiciale dicendi genus litigiosum ac sæpe molestum relinquens majores spiritus sumpsit — sic ego quoque curavi, ut meæ essent orationes ceteris σεμνότεραι καὶ πολιτικώτεραι, quæ consulares nominarentur." In quibus nescio an certe non magis Ciceroniana quam verba sunt epistolæ deprehendam; profecto autem illa qualiscunque in Attici gratiam facta attici oratoris assimulatio hac translatione obliteratur. At non hæc solum, verum etiam in fine Cicero debuit ita loqui: „Tu, qui optime res meas gestas nosti adeoque (??) earum commentarium scripsisti, ex hisce orationibus etiam verba,

quibus in singulis actionibus usus sim, cognosces." Molesta sane verbositas pro simplici illo quod vituperat: „perspicies et quæ gesserim et quæ dixerim." Hæc enim utraque Attico satis perspicienda esse poterant, qui et absens res a Consule gestas in commentario suo perscripsisset, neque satis, ut Ciceroni placet, ornate. Et vere dico, diu me quidem cunctatum fuisse, antequam mihi persuaderem, Virum tantum serio has nugas agere posse. Sed quum sales urbanitatis qualescunque Ciceroni detractos, quo hunc ipsum longiorem redderet, rhetori nescio cui reliquit, idem quam constanter fecerit, ut rusticitatis etiam nomine Ciceronem absolveret, Pseudociceronem afficeret, ipse viderit. Ferendum enim non esse existimat hoc: aut ne poposcisses, ego enim tibi me non obferebam. Quod quidem nisi forte illud etiam §. 1. „Tua illa horridula mihi atque incompta visa sunt," offendere amicum non poterat. Atqui Cicero habuit, quod nimiam suam in mittendo sedulitatem Attici postulationibus excusaret. Eam enim in hac ep. præ ceteris præ se fert §§. 1. 2. 3. 11. in quo extremo loco hæc, quæ AURELIUM fugerunt, addita verba „cum oratiunculis" delenda essent ex istius sententia.

Sunt autem alia duo in his enunciatis, quæ Cicerone censet indigna; neque ea levissimi, ut videtur, momenti. Nam sic pergit: „neque profecto affectatione carent Græca in tam brevi loco accumulata." — Equidem sæpe miratus sum singularem in hoc Viro dd. Ciceronis æmulationem, qua vel invitus soleo poëtæ nostri verba [4]) admoneri: nam ipse AURELIUS istuc Ciceronis in epistolis græca

---

[4]) Schill. Wall. Lag. Auftr. III. VV. 30. 31.

immiscendi studium ita in deliciis habere videtur, ut ne reprehendere quidem hoc forte nimium singulare possit, nisi immixto graeco proverbio [5]). Hæsitat etiam V. C. in Philippicis: „Tota enim, inquit, ista comparatio tempore illo, quo scripta finguntur verba mihi suspecta, vix Ciceroni, facillime vero ei in mentem venire poterant, qui et Demosthenis et Ciceronis Philippicas nosset in eoque elaborandum putaret, ut una cum Ciceronis Philippicis alterum etiam Consularium σῶμα exstaret, utriusque oratoris Philippicis æquiparandum, quod quidem ipse ex veris et falsis callide composuerat." Fateor me vehementer commotum fuisse, cum in hanc forte argumentationem me incurrisse viderem, qua ego uti inverso ordine perlectis primis literis mente concepissem. Nam hic, ut vere dicam, AURELI modus est ratiocinandi: Ex eo, quod etiam Ciceronis erant orationes philippicæ, quæ ad Demosthenis philippicarum similitudinem proxime accederent, consecutum est, ut hujusmodi corpus orationum ex veris et falsis mixtum Ciceronis nomine supponeretur. Qui vero hercle homini scholastico, qui Demosthenis orationibus Philippicas Ciceronis vel nomine jam æquiparatas nosset, qui quæso in mentem venire poterat, ut alterum corpus orationum plane diversum, opus quasi æmulum æmuli, consarcinandum putaret? Contra omnibus opinor plane perspicuum est, ea ætate, qua verba ista epistolæ AURELIO tentata scribebantur, Ciceronis Philippicas exstitisse nullas. Scripta igitur verba esse non possunt nisi vivente Cicerone. Quodsi ita est, ab ipso Cicerone scripta, satis apparet.

---

[5]) Τῇ χειρὶ ἕδει (sic) σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ.

Itaque hæc omnia quæ enarravi argumenta, quibus V. C. illud Ciceronis ad Atticum testimonium evertere conatus est, facile adversus ipsum verti possunt, ac nihil est, quod isti testimonio fidem detrahas. Sed esto: quærimus alterum quid sit, quod interpolatam certo quodam consilio affirmet esse epistolam. Verum in hac ejus sententia tam multa sunt vel discrepantia vel adeo sibi repugnantia, ut alterum fere altero tollatur. Nam ab eodem falsario, qui tres Catilinarias composuerit, locum illum ep. ad Att. inculcatum esse conjectat, hoc consilio, ut æqualibus suis eas a Cicerone ipso et habitas et editas astute persuaderet. At in iis, quæ supra attuli, consilium falsarii plane diversum indicavit, et id quidem quod diserte etiam epistola ostentat: ut ego non intelligam, qua de causa rhetor vel quicunque corpus istuc Consularium conficere ausus esse perhibetur, quum affatim veras haberet ejus modi orationes, falsas in istud præclarum, ut videri oportebat, opus intruserit. Nam neque numerus X orationum, quem quidem non excessurus fuisset ἀποσπασμάτια infercions; neque, cum tribus orationibus dissuasio legis agrariæ peracta esset, agrariarum æqualitas eum inducere poterat, ut præter unam veram tres maxime Catilinarias confingeret; neque tandem, quales ei imputant, centonibus seu Tiro seu quilibet alius patroni gloriæ consultum fore credebat. Itaque aut omnes in illo corpore veræ orationes, aut præter istas tres etiam aliæ falsæ atque fictitiæ inerant: quod neutrum vult noster. Atqui, ut logici ajunt, qui nimium probat nihil probat. An vero, quod AURELIUS noluit observare, rhetor quum Catilinarias confecisset neque haberet quo modo eas pro veris divulgaret, in illud ingeniose inventum incidit, ut consularium conderet orationum corpus universum? Namque de eo quemlibet loci tentati

auctorem cogitasse, extra dubium est. At quomodo fieri potuit, ut nullum istius operis in antiquitate vestigium occurreret, quod sane perfici debuit inculcato in epistolam testimonio? Etenim falsarium cura nulla, nullumque periculum prohibere poterat, quominus inceptum exsequeretur. Contra quid fuerit, quod Cicero suo consilio corpus orationum consularium condendi non satis fecerit, haud difficile est judicare. Nam quæ mox secuta sunt tempora [6]), si non deterrebant consulem, quominus id susciperet, tamen ab ejusmodi opera distinebant; postea vero, quam in Antonium oraverat, multo satius voti damnatus fuit. Quanquam ex his, quæ dixi, non sequitur id quod AURELIUS postremum adjecit argumentum: multas scilicet et graves jam tum causas Ciceroni fuisse, cur ab aliis in Catilinarios orationibus elaborandis atque edendis omnino abstineret. Nam in eadem epistola, in qua consulares orationes enumerat, facete quædam et petulanter in Clodium dicta magna cum sua voluptate refert. Tum igitur videlicet invidiam excitare et augere Cicero verebatur, quum paulo ante satis aspere, ut AURELI verbis utar, invectus in necatos et conjurationis reliquias esset, atque etiam in Senatu hominem inimicissimum publice ludibrio haberet.

Jam vero his omnibus doctorum disputationibus magnus error subest. Nam Catilinariarum quas vocant apud antiquos profecto nulla erat notitia. Neque enim Cicero l. cit. præter unam, qua Catilinam emiserit, vel si mavis alteram quoque, alias in Catilinam inscripsit orationes, quod certe falsarum auctor non omisisset;

---

6) Datas enim ad Att. literas ad annum referunt 694, qui ante exilium Ciceronis tertius est.

neque Asconius, qui primam laudat ad Pisonianæ c. 2, 3. plures ejusdem nominis noverat; nec Quinctilianus, qui ex omnibus quatuor orationibus sæpe verba refert, plures una in Catilinam quæ prima est (Inst. XII, 10, 60.) eo nomine inscriptas indicat. In qua re AHRENSIUS vehementer errat pag. 96. sqq. Atqui codices vetustissimi, illis auctoribus longe inferiores, post interpretem gronovianum [7]) primi corpus Catilinariarum quoddam nobis obferunt, quod „Ciceronis IV invectivarum libri in Catilinam“ inscribitur [8]). Itaque hæc est serioris ævi collectio, nata ex eo quo Grammatici more solebant orationes istas citare [9]), atque hoc nomine insignita, quod antiqui illi rhetores ne fando quidem audiverant. Veræ autem Ciceronis orationes, sive nunc exstant sive perierunt, quum ne essent quidem omnes in Catilinam habitæ, sua quæque fata secutæ absque communi titulo priora sæcula pervasisse videntur. Quo magis credibile est, illa ætate ab his orationibus conglutinandis omne consilium longe abfuisse. Quodsi consilium non exstitit, causa quoque, quæ moveret quempiam ad interpolandam epistolam, nulla fuit.

Quamquam ut justa videri possit AURELI conjectura, necesse est, quam proxime absit a Ciceronis ætate cum epistolæ adulteratio, tum fabricatio orationum. Alteram enim ab altera discerni

---

[7]) Cicer. Scholiast. ed. Orell. et Bait. II, p. 410. Argum. IVtæ: „Hic liber.“

[8]) Cod. Tegerns. et Salisburgensis, uterque sæc. X. vel XI. „Iste, ait Steinmetz præf. p. V., in Tullianis omnium qui adhuc excussi sunt facile optimus.“

[9]) Diomed. I, 318. Priscian. XVI, 1023. Vox autem Invectivæ ante Ammianum Marcell. nusquam occurrit.

non licet, si quidem auctoris fuerunt ejusdem. At quanto propius accedebant orationes subditae, tanto minus probari aequalibus poterant, quippe qui res gestas sive ex Ciceronis et Attici commentariis sive fama atque hominum sermonibus satis accurate cognoverant, et quid verum, quid falsum esset, scite dijudicabant. Sin autem aberant quam longissime, verisimile prorsus non est, epistolas Ciceronis omnium per manus divulgatas vel summa arte adulterari potuisse. Hoc quidem ipse vidit AURELIUS (p. 181.), neque habuit quo confugeret. Sed quum ita haec inter se connexa et implicata esse intellexisset, ut et orationes addubitatae et particula illa epistolae una stent, una cadant, maluit in AHRENSI contra IV. orationem et suis adversus Epistolam argumentis acquiescere. Equidem vero, licet ad illud dilemma AURELIANUM provocare possim, tantum absum, ut his Marklandis et Tunstallis meam sententiam comprobasse mihi videar, ut jam mihi causam a capite repetendam esse ducam.

Restat enim, ut tertiam AURELI sententiam refutem, in qua consentit cum AHRENSIO; sed mirum, ita consentiunt, ut sublato alter, alter integro Ciceronis testimonio, postquam is rogare in senatu sententias incepisset, nullam illo die habitam ab eo esse orationem defendant. Quod ita fere AHR. (p. 58 — 71.) evicisse sibi videtur. Quum enim Cicero ad Att. II, 1. unam tantum a se habitam Non. Dec. referat orationem, aliis locis (ad Att. XII, 21. in Pis. 7, 4.) nonnisi relationis mentionem faciat, jam luce clarius esse existumat, hanc relationem unam eandemque dici atque illam orationem. Tum vero (sic ejus procedit argumentatio, pp. 71 — 77) quoniam relatio non sit oratio, neque Consulis fuerit alteram relationem inferre sententiis vel interpellare consultationem suam

dicendo sententiam, orationem istam Non. Dec. haberi nullo pacto potuisse fortiter concludit. At haec quae viginti paginis disputavit, quibus totam orationis quartae auctoritatem labefactari, prosterni, everti putat, quam contorta quam quaesita sint, et per se liquet et nova AURELI conjectura satis arguitur.

Verum enim vero si fides habenda est Ciceronis testimonio, propria fuit oratio, quam habuit in Senatu Non. Dec. Retulisse autem Consulem ad Senatum saepius fuse et ornate quam nude ac breviter, hoc satis constat atque AHR. ipse ejus rei testes facit Ciceronem, Livium, Dionysium. Quid igitur interfuit inter hanc ejus diei relationem atque ceteras, ut eam potissimum tanquam orationem laudaret, qua nomine quivis Romanus minime ea intelligeret, quae referri solebant convocato senatu? Immo vero rectius orationem, qua vel causam Cicero constituerit, vel judicaverit, vel senatorum animos et consilia confirmaverit, ex rerum tum gestarum ratione et Consulis conditione relationem appellatam atque hoc nomine maxime tam magnifice laudatam fuisse dixeris. Orationem autem haberi, antequam unus vel alter sententiam diceret, cum omnes judicium summo opere exspectarent, quid poterat prodesse, quum Ciceronis plurimum interesset, ceteros primum audiri? Sed ut AURELIO satisfaciamus, qui habitam illo die omnino nullam a Cicerone orationem obtinet, non probat, ostendamus necesse est, potuisse Consulem istam orationem habere quum ex potestate consulari tum ex rerum natura et scriptorum narrationibus. Primum, licuisse Consuli, ut orando interpellaret sententias atque ex integro rogaret, certe nemo est qui dubitet, qui Pseudo-Asconii ad Verr. lib. I. §. 90. (Bait. p. 184.) haec verba cognoverit: „metu dicit legatos posse terreri, praesertim cum — in manu sit consulum,

quando et quemadmodum referant ad Senatum," quique penes Consulem esse meminerit, alios consulere alios praeterire, dictam sententiam aut laudare aut reprobare: quae omnia AHRENS. non ignorat, sed mirum in modum contorquet. Hoc instat: denuo consulendos fuisse, si Consul sententias interpellasset; sed ne quaerere quidem illi in mentem venit, utrum sententiae iterum et de novo post Ciceronis vel Caesaris orationem rogatae fuerint, necne. Quod tamen non ita perspicuum esse debet.

At Salustium appellant, cui in hac omni causa maximam tribuunt auctoritatem. Verum ex silentio nulla valet argumentatio: atque ii, qui hunc testem adducunt, obliti esse videntur, Salustium id praecipue in animo habuisse (c. 53. 54.), ut Caesaris et Catonis naturam et mores hac causa celebri oblata aperiret atque compararet. Quapropter is utrumque fusius sententiam edisserentem fecit, non quo propriam ac veram utriusque orationem referret, sed ingenium et dicendi rationem illustraret. Profecto enim Catonis orationem Salustius non ut habita fuerat refert, quum nulla in parte id quod Cic. ad Att. XII, 21. illum perorasse affirmat, commemoret. Quid ergo Ciceronis oratoris fieri mentionem interfuit? Nam de malignitate, quam vulgo ferunt, nihil dico: praesertim cum Ciceroni suum Salustius c. 55. juste ac merito dispensaverit. Quamquam ego e Salusti verbis c. 52. „ceteri verbo alius alii varie assentiebantur" et Catonis ibidem „alius alium exspectantes cunctamini" satis argumenti arbitror posse depromi, unde Ciceronem incertos ut videri poterant ac dubios patrum animos excitandos atque corroborandos ratum fuisse conjicias. Nam Catonis, qui tum tribunus plebis designatus (Vellej. II, 34.) inter minimos natu senatores sederet, sententiam vel adeo futuram orationem Consuli, qui ubi

cognovit, convocato senatu retulit, „procul dubio cognitam antea fuisse“, hoc dicere ita summum est in conjecturando, ut nihil sit, quod tali modo non probes. Quare concedas necesse est, Salustio auctore orationem consulis non modo non excludi, verum si verba gravissumi scriptoris urgeantur, etiam posse exspectari. Sed haec pessima est AHRENSI sumptio, quod et dissentire Salustium a Cicerone et dissentientem diligentius veriusque narrare inde a principio commentationis suae statuit, atque ita causa fere praejudicata eam rerum gestarum explicationem pro fundamento quaestionis posuit, qua Ciceronianae orationis illo die habitae testimonia non possent non praeveniri atque praeverti. Hac igitur arte et Ciceronem ablegat et Plutarchum; deinceps obiter et Dionem et Appianum; qui tamen omnes habitam a Consule orationem satis aperte produnt.

Alterum enim Ciceronis testimonium hoc est ad Att. XII, 21. 1: „Legi Bruti epistolam eamque tibi remisi, sane non prudenter rescriptam ad ea, quæ requisieras. Sed ipse viderit: quamquam illud turpiter ignorat. Catonem primum sententiam putat de animadversione dixisse quam omnes ante dixerant præter Cæsarem; et quum ipsius Cæsaris tam severa fuerit, qui tum prætorio loco dixerit, consularium putat leniores fuisse, Catuli, Servilii, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcatii, Figuli, Cottæ, L. Cæsaris, C. Pisonis, etiam M. Glabrionis, Silani, Murœnæ, designatorum consulum. Cur ergo in sententiam Catonis? Quia verbis luculentioribus et pluribus rem eandem comprehenderat. Me autem laudat, quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique antequam consulerem ipse judicaverim. Quæ

omnia quia Cato laudibus extulerat in cœlum perscribendaque censuerat, idcirco in ejus sententiam est facta discessio." Quæ verba si integro judicio perscrutatus eris, hoc fere perspicuum habebis: Atticum de nonnullis in Bruti libro erroribus quæsivisse: Brutum male emendasse: denique Ciceronem id potissumum vituperare, quod in ordine orationum et suæ et Catonis constituendo Brutus turpiter lapsus sit; etiam ægre ferre, quod relationem Consulis laudarit, nec verbo quidem indicaverit, consulem patefecisse, cohortatum esse, judicasse, antequam Catonem consuleret [10]). Quibus profecto verbis et relationem discernit ab cohortatione, et sententiam se dixisse aperit. Etenim id unum Cicero in epistola magna cum ambitione defendit, non uni Catoni severam conjuratorum animadversionem esse tribuendam sed (ut saltem sententiarum ordo est epistolæ citatæ) post Consulares et Consules designatos se potissimum idem suasisse, idem judicasse, quod tandem verbis luculentioribus et pluribus Cato. Sibimet igitur ipsi orator haud mediocrem laudis quæ Catoni debeatur partem vindicat: quod quidem non liceret, nisi sententia prolata ipse suum quoque momentum adjecisset. Neque sola relatio vel maxime diligens et reip. salutaris (in Pis. 7, 14.) tanti poterat æstimari, ut præter tam multas et tam graves gravissimorum virorum sententias ex ea maxime discessio facta esse diceretur.

Plutarchus deinde (Vit. Cic. 21.) res gestas ita narrat: *Οὕσης δὲ τῆς γνώμης (καίσαρος) ἐπιεικοῦς καὶ τοῦ λέγοντος εἰπεῖν δυνατωτάτου· ῥοπὴν ὁ Κικέρων προσέθηκεν οὐ μικράν. Αὐτός τε γὰρ ἀναστὰς ἐνεχείρησεν*

---

[10]) Ambiguitas est in tempore; ut nos loquimur vernacula, aliquis dixerit: „antequam consuluissem", quod cum Perf. Ind. junctum latinum non est.

εἰς ἑκάτερον, τὰ μὲν τῇ προτέρᾳ τὰ δὲ τῇ γνώμῃ Καίσαρος συνειπών· οἵ τε φίλοι πάντες — ἠροῦντο τὴν δευτέραν μᾶλλον γνώμην, ὥστε καὶ τὸν Σιλανὸν αὖθις μεταβαλλόμενον παραιτεῖσθαι καὶ λέγειν, ὡς οὐδ' αὐτὸς εἶποι θανατικὴν γνώμην· ἐαχάτην γὰρ ἀνδρὶ βουλευτῇ Ρωμαίων εἶναι δίκην τὸ δεσμωτήριον. Εἰρημένης δὲ τῆς γνώμης, πρῶτος ἀντέκρουσεν αὐτῇ Κάτλος Λουτάτιος· εἶτα δεξάμενος Κάτων — ἐνέπλησε θυμοῦ καὶ φρονήματος τὴν σύγκλητον, ὥστε θάνατον καταψηφίσασθαι τῶν ἀνδρῶν. In quibus forte Plutarchus gravior testis eo habendus erit, quo magis de ratione ac fine consularis orationis ab ipso Cicerone alienam et suam profert sententiam, tamen in re consentit. Nam ut errore ductus sit, ut est, si Ciceroni de se ipso confitenti magis credas; tamen hic error ex pravo de rebus memoriæ traditis judicio natus scriptoris in re narranda fidem haud imminuit. Ceterum idem utrum in eo quoque erraverit, quod dicit Q. Lutatium Catulum, quem Cicero l. cit. principem Consularem (erat enim tum princeps Senatus) refert, primum Cæsaris sententiae obstrepuisse, an res diligentius per partes descripserit, ego non decernam. Suspicari licet, si quae sequuntur attenderis. Nam de Caesare aliqua prodit admodum verisimilia, quae quod meminerim nusquam alibi leguntur.

Accedunt Dio et Appianus, quorum alter suasisse quidem Consulem, ut capite in sontes animadverteretur, atfirmat (XXXVII, 35. συνταράξας τε καὶ ἐκφοβήσας ἔπεισε θάνατον τῶν συνειλημμένων καταγνῶναι): alter, qui fere cum Plutarcho solet facere, in hoc ita discedit, ut neque ordinem orationum Ciceronis et Catonis observet, et consilium Consulis, quale hic ipse l. c. professus est, haud ignoret. Is enim refert Bell. Civ. II, 6. Κάτων δὲ καὶ ὁ Κικέρων δεδιὼς — ἔπεισαν ὡς αὐτοφώρων ἄνευ κρίσεως καταγνῶναι. Quae verborum compendio magis conjuncta, quam ordine digesta esse, nemo est, qui

non intelligat. Sed ut discedit auctor a Plutarchi de ea re judicio, ita rem factam esse confirmat. Verum ne unius Plutarchi nos fidei devovisse videamur, tandem ut causa ab omnibus perspici atque dijudicari queat, ea quae gesta sunt, non quae probabilissima nobis videantur, ut AHRENSIO placuit (p. 35.), sed quae narrata a diversis scriptoribus sibi non repugnent, institui colligere atque indicatis auctoribus disponere.

Conjuratis Lentulo Cethego Statilio Gabinio Cœpario [10]) ex senatus decreto [11]) in liberam custodiam traditis [12]), Consuli quid ageret dubitanti et fluctuanti [13]) quum faustum a mulieribus omen nuntiatur [14]), tum indicium defertur, a Lentuli et Cethegi libertis [15]) et paucis ex clientibus [16]) sollicitari opifices [17]) et servitia [18]), ut ad reos liberandos irrumpant [19]). Ubi ea parari cognovit [20]), Non. Dec. Cicero præsidiis dispositis [21]) clivum capitolinum et forum equitibus munivit [22]), prætores populum ad sacramentum adigere jussit [23]), senatui in ædem Concordiae [24]), quae ad clivum Capitolinum erat, convocato retulit [25]) eumque metu et terrore implevit [26]). Deinde rogati sententias, Silanus [27]), Muræna, Catulus et ceteri [28]), ante Caesarem omnes [29]), de his qui deprehensi essent supplicium su-

---

[10]) Omnes enumerat Sal. Cat. 47. Aliquot Plut. Cat. 22. Vell. II, 34. [11]) id. Plut. Cic. 19. [12]) apud Prætores, Plut. ib. App. B. Civ. II, 6. apud alios senatores, Sal. De domibus nihil Dio XXXVII, 35. [13]) Plut. [14]) Plut. 20. Dio. [15]) Sal. 50. App. Dio. [16]) Sal. [17]) Sal. App. [18]) ib. Dio. [19]) ib. [20]) Cic. ad Att. I, 19. X, 1. ad Div. I, 9. 23. [21]) Sal. App. [22]) Cic. ad Att. II, 1. 7. Phil. II 7. 13. [23]) Dio — „Ex curia discurrit — statim redit" App. fals. [24]) Sal. 49. coll. Suet. Cæs. 14. Plut. 19. Philipp. II, 8. 46. [25]) Sal. Dio App. [26]) Dio. [27]) Sal. Cic. Plut. 20. App. [28]) Philipp. II, 5. ad Att. XII, 21. [29]) Dio Plut. Cæs. 7.

mendum decrevere [30]). Sed Caesar, praetor creatus [31]), Ciceroni dudum suspectus [32]) rogatus sententiam, ampliori usus oratione [33]) censuit: publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia [34]), neu quis de venia eis danda postea ad senatum referret, neve cum populo ageret [35]). Ad haec quum ceteri verbo alius alii adsentirentur [36]), primus Tib. Nero [37]), Caesare honoribus inferior [38]), ne dixit quidem de pœna sententiam, sed causam prolatandam [39]) censuit, dum Catilina debellaretur. Tunc Cicero [40]), metuens noctem instantem [41]), ne conscii conjurationis, sibi non minus timentes quam reis, turbas moverent, quo decretum acceleraret [42]), exstitit atque praetermissa prolatione [43]), utrumque illum laudans, alteri magis assentiens [44]), ceteros cohortatus est, judicavit [45]); non multis persuasit [46]). Nam iterum, ut videtur [47]), rogavit. Silanus mutata sententia [48]) mitiorem fieri [49]), Neronis in sententiam iturum se confiteri [50]): Catulus unus Caesari obstrepere [51]), ceteri [52]) et Q. Cicero [53]) de Consule et suis metuentes [54]), mitiorem Caesaris sententiam amplecti: plerique alius alium exspectan-

---

30) Sal. cet. 31) Suet. Plut. Cic. 21. „τὰς πρώτας ἔχων τῆς αὐξήσεως ἀρχάς." 32) Plut. ib. App. vix obnitente Sal. 33) Sal. Cic. Suet. Plut. 34) ib. Dio Vell. App. Hic vero, qui Neronis et Cæsaris sententias confundit, prave addit, ut debellato Catilina in judicium adducerentur. 35) Sal. Dio. 36) Sal. c. 52. Plut. App. 37) Sal. App. errat, Neronem ante Cæsarem ponens, obnitentibus Dione et Plut. Cæs. 7. neque Sal. consentiente c. 50. 38) biennio post prætor factus. vid. AHR. 39) Sal. App. 40) Plut. App. 41) App. 42) ib. 43) Non enim ut nostros Consulem P. R. obstringebat sententia (quam vocant Ordnungsmotion). 44) Plut. 45) Cic. ad Att. XII, 21. [in Pis. 7, 4. dubium est]. 46) Plut. coll. Sal. 47) ad Att. XII, 21. nisi forte turbam in senatu et tumultum factum statuis, ut singuli singulis obstreperent. 48) Plut. Cic. 21. Cat. 22. 49) Suet. Cæs. 50) Sal. 51) Plut. 52) Sall., Vell. Dio. Plut. App. 53) Suet. 54) Plut.

tes cunctari [55]). Sed quum ad juniores [56]) ac plebis tribunos, inter quos Cato [57]), perventum esset, is rogatus a Consule de confessis sic ut de manifestis rerum capitalium more majorum supplicium sumendum censuit [58]). Atque tam gravi nec inopinata [59]) oratione, qua consulis consilia et diligentiam in cœlum laudibus extulit [60]), in conjuratos et homines conjuratorum societate suspectos invectus est [61]), ut Consulares et magna pars Senatus sententiam laudarent atque alii alios increpantes timidos vocarent, denique Senati decretum fieret, ut ipse censuerat [62]). Cum etiam bona publicanda adjicerent, Caesar restitit, nolens, ex sua sententia id quod durissimum esset, decerni. Ceteris autem nil audientibus [63]), quum et equites illi minitarentur [64]), Cicero sponte de publicatione sententiam praetermisit [65]). Consul, ut decreto staret, optimum factu ratus, noctem quae instabat antecapere, ne quid eo spatio novaretur, Triumviros, quae supplicium postulabat, parare jubet [66]).

Quae acta eo die in Senatu sunt, Cicero diligenter perscribenda curaverat: unde Catonis oratio exstabat Plutarchi aetate [67]). Namque scribas quas ipse velociori calamo et brevissimis quibusdam siglis notantes noverat, Consul passim per templum locaverat [68]). Ipse vero tunc a se habitam orationem, etsi id facere in animo fuerit [69]), tamen quantum hodie licet conjectura consequi, neque elaboravit, neque elimavit.

Scribebam his feriis vernalibus a. MDCCCXXXVI.

---

55) Sal. c. 52. 56) Liv. IX, 8. Cic. Phil. V, 13. 57) Plut. Cat. et Cic. 58) Sal. cet. 59) Cic. XII, 21. Vell. II, 34. 60) ib. cet. 61) Plut. Vell. 62) Sal. cet. 63) Plut. 64) Suet. 65) Plut. 66) Sal. Plut. 67) Plut. 68) ib. 69) ad Att. II, 1. 3.

Errata.

Pag. 20 lin. 12 p. qua lege quæ.
- 27 - 18 p. quæ - quæ.

II 130

Festa Natalitia

GUILIELMI

REGIS AUGUSTISSIMI

a. d. V. Cal. Oct.

in

Gymnasio Heilbronnensium Carolino oratione solemni celebranda

indicit

DR. CAR. FR. SCHNITZER, Prof.

Inest Quaestionum Ciceronianarum Particula secunda.

Heilbronnae,

TYPIS MAXIMIL. MUELLER.

MDCCCXXXVII.

Quaestionum Ciceronianarum Particula secunda.

Cum prima hujus generis quæstione, quam edidi anno proximo[1]), id quidem ab Orellii[2]) et Ahrensii[3]) dubitationibus defensum atque vindicatum esse videatur, ut habitam a Cicerone consule orationem Nonis Decembribus jure nostro sumamus: jam ut in incepto perstemus, num ea quæ exstat, quam vocant, Catilinaria quarta ista sit Ciceronis oratio, quærendum est.

Primum igitur videamus, quid sit, quod suspiciones virorum doctorum moverit; deinde, quam fidem ipsa huic orationi antiquitas habuerit. Genus autem argumentorum, quibus spuriam hanc, quam dixi, orationem esse Ahrensius convicit, triplex est; nam quæ de amplificationibus et repetitionibus et sententiarum languore celeriter notavit, ea singulorum magis in arbitratu po-

1) Einladung zur feierlichen Eröffnung der neuorganisirten Aargauischen Kantons-Schule am 28. April 1836. Inest Quæstionum Ciceronianarum Particula prima. [Prostat apud H. R. Sauerländer.]

2) M. Tulli Ciceronis oratt. XV. selectæ. Ed. recogn etc. J. Caspar Orelli. Turic. 1836.

3) Ciceronis quæ fertur Oratio quarta in Catilinam. Recogn. commentt instr. a Cicerone abjudicavit E. A. J. Ahrens. Coburg 1832.

sita sunt, quam quæ severam refutationem exigant. Prætendit autem errores quos dicit historicos, pravam orationis inventionem et dispositionem, denique sermonis verborumque discrepantiam. Quas reprehensiones quum nemo adhuc avertere ab auctore nostro conatus sit, equidem haud dubito, fore nonnullos, quibus difficile nos suscepisse negotium atque omni in hac causa defendenda et laudatione et advocatione destituti esse videamur. Etenim Madvigii, qui primus, quod sciam, hanc rem tetigit, opuscula neque ad manum fuere, neque moleste tuli non esse, quum Orellius noster, vir integerrimus, ejus sententiam his verbis referat: „Madvigius (opusc. p. 192.) hanc declamationem Ciceroni vin„dicans sapientissime quidem generatim atque universe nos de„hortatur de nimia temeritate in veterum, inprimis Ciceronis scrip„tis propter dicendi genus singulaque interdum verba in suspi„cionem adducendis: sed argumenta historica, quæ dilucide pro„posuit Ahrens., non modo non refutavit, sed ne verbo quidem „attigit."

At in rebus narrandis errores a Cicerone non magis alienos esse, quam, quod ipse concedit celebb. oratoris Editor, sermonis interdum et eloquentiæ lapsum, hoc satis constat. Jamque criticorum erit, in locum unumquemque inquirere, Cicerone labi suo loco potuerit, necne: et sane potuit, sive voluit sive ignoravit. Nam ipse ad Att. XIII., 44. μνημονικὰ ἁμαρτήματα sua confitetur, ubi Atticum rogat, ut erratum quoddam ex omnibus libris tollendum curet. Idem facit Epp. ad eund. I., 13. et VI., 2. Contra Gabinius quidam in Cat. III., §. 5. librarii delicto Cimber nominatur, qui apud Salustium Capito est. Sunt etiam quæ voluit ignorare sive, ut recte dicam, aut simulare aut dissimulare; et de his, quæ causarum et temporum sunt, satis aperte Cic. p. Cluentio. c. 50. Tamen in hac potissimum oratione fieri potest, ut ne culpam quidem memoriæ sustineat.

Sed locus maxime vexatus est in Catilin. IV., §. 10. „Video abesse non neminem, ne de capite videlicet civium romanorum sententiam ferat. — — At vero C. Cæsar intelligit, legem Semproniam esse de civibus romanis constitutam: qui autem rei publicæ sit hostis, eum civem esse nullo modo posse; denique ipsum latorem Semproniæ legis jussu populi pœnam dependisse.“ Prima in his verbis difficultas oritur, quod Cicero Semproniæ, Salustius et reliqui scriptores Porciæ legis mentionem faciunt, quæ senatui de conjuratis judicanti observanda esset. Jam autem satis convenit, legem utramque non ita differre, ut eadem causa his duabus teneri non potuerit. Sempronia quidem, lata post Tib. fratris interitum a C. Graccho, prohibitum fuit, ne quis injussu populi de capite civis Romani judicaret; Porcia vero, ne quis civis verberibus aut morte afficeretur, neve indicta causa capitis damnaretur, rel. rel. Quare necesse non est, aut C. Cæsar in oratione sua legis Semproniæ, aut Porciæ Cicero meminerit. Nam ille Semproniam reapse neglexit, quum cives capite deminuendos injussu populi decrevit. Quod autem Suetonium Ahrens. (p. 112.) scribere affirmat, Cæsarem „invitissimum de consilio traducendorum ad populum reorum destitisse“, id ne verbo quidem Suetonius; Appianus levissime tale quid indicat. Sed prorsus repugnat Salustii et Dionis narrationibus. Itaque nec vindex legis Semproniæ Cæsar haberi potuit. Præterea Salustius [4]), cujus in ea re maxima solet esse auctoritas, senatus decretum, quo res publica commissa consulibus esset, et jussum populi ita inter se com-

4) B. Cat. c. 29. Ea potestas per Senatum, more Romano, magistratui maxima permittitur, exercitum parare — — — domi militiæque imperium atque judicium summum habere; aliter sine populi jussu nulli earum rerum Consuli jus est.

parat, ut hac utraque potestate supplicium sumi de cive Romano licuisse intelligatur. Tamen hoc interest, quod, magistratu qui abiissent, plebi obnoxii erant, qui jussu populi judicassent, non erant. Id quod confirmatur Liv. Epit. LXI. extr. et iis, quæ Ciceroni postea acciderunt: quæ etiam Catonis sententia, addita clausula „more majorum“ (Salust. 52. extr.), præcauta esse videntur. Atqui ob eam causam Cicero consul tum in prima, quæ contra Catilinam est, tum, si ad eam licet provocare, in tertia legem istam quasi spectrum ante oculos obversari videt. Nam etsi (in Catil. I., §. 2.), quid consulis jussu fieri debere haud immemor fuit, tamen ita et senatum et populum leges admonebat 5), ut abesse non multum posset, quin cauta Cæsaris atque præmunita oratione commotus suam de ea re sententiam ingenue diceret, vel nulla a Cæsare Semproniæ facta mentione. At Ahrens. (p. 214. 15.) eam ita interpretatur, ut judicare sit judicium cogere. Cujus nescio an Romanum nullum auctorem invenerit, hoc enim est quaerere (Cic. de Fin. II., 16. §. 54. al.). Sed esto. Senatum ait consultasse, non judicasse. Tamen e Ciceronis atque etiam Sallustii 6) sententia judicium fecit: itaque recte Cicero legis, quam ipse verebatur, metum senatorum animis excutiendum putavit, quod ita fecit, ut ipsius Cæsaris sententiam

5) I., 11. §. 23. an leges quæ de Civium Romanorum supplicio rogatæ sunt? at nunquam in hac urbe ii, qui a republica defecerunt, civium jura tenuerunt. — III., 6. §. Lentulus, quamquam patefactus indiciis et confessionibus suis, judicio senatus, non modo prætoris jus sed etiam civis amiserat, etc.

6) Cic. in Pis. 7. animadversio et judicium senatus (fuerat). Ad Att XII., 21. quod denique, antequam consulerem, ipse judicarim. Fragm Metellinæ, in Senatu habitæ, ed. Or. n. 5. vos enim statuistis, vos sententiam dixistis, vos judicastis. Salust. c. 51. supplicium decreverat; c. 51. genus pœnæ novum decernere; — quid statuatis considerate.

ad suam rem accommodaret, neutiquam vero (qui error est Ahrensii p. 109. 112.) Cæsari quidquam persuaderet. Contra Porciam legem, quæ ad supplicii modos atque genera pertineret, neque in prima oratione nominavit, neque tunc habuit, quod commemoraret, quum ipse neutram, quæ prolata esset, sententiam totus suaderet.

Jam vero exemplum, quod Cic. affert, virum doctum offendit: neque immerito. Tametsi sensus oratoris latere non potest, si quidem voluit ostendere, etiam C. Gracchum justa ratione interemtum esse. Neque Steinmetz. ad h. l., si aliquid dixit, aliter sensit; observat enim, re vera C. Gracchum neque jussu neque injussu populi occisum fuisse. Sed male vulgatam cum Murete defendit, qui Ciceronem causæ servire existimat. Itaque non rectius is quidem Ernestium, quod „injussu" legi jusserit, de facto reprehendit, quam de mutata sententia Ahrensius. Nam hoc, quod scriptum libri omnes exhibent, neque consul, neque rhetor quisquam dicere ullo modo potuit. Ratio enim argumentationis anceps est: ut probet orator, Sempronium legem neque civibus, qui reip. hostes exstitissent, posse præsidio esse, neque Consulem ac Senatum in summo reip. discrimine ea teneri. Utrumque liquet ab oratore, qui causæ serviret, debuisse negari; tertium vero non est. Est igitur oppositio quædam, nec quasi cumulatio argumentorum. Quare, quid vox denique hic sibi velit, non video; verum plane procedet argumentatio, si vocem neque pro illa substitueris: quam conjecturam, quum lectio vulgata propter præcedens vocabulum autem, sententiarum nexus incuria, facile librariis e vera nasci posset, egregie mihi comprobavit Schol. Gronovianus, qui notat §. 10. ad vocem latorem: „vult ostendere, more mm (majorum Gron.) licere occidi". Quocum recte Salustius consentit, l. supra laudato c. 29. morem Romanum a populi jussu discernens. Videtur igitur Schol. locum talem ante

oculos habuisse, ut „jussu“ legeret, sed negantis esset sententia.

Eodem loco deinde hæc leguntur, quæ supra praetermisi: „Is et nudius tertius in custodiam cives Romanos dedit et supplicationem mihi decrevit, et indices hesterno die maximis praemiis affecit.“ Et planius eadem c. 3. §. 5. Quæ biduo cuncta gesta esse Ahrens. valde dubitat, et mendum suspicatur, quod Cicero ad Att. I., 13. animadvertat, ad orat. in Catil. III. pertinere, eamque non correcto diei indicio ejus, qui quartam composuerit, in manus venisse existimat. Haec extrema quam certa sint, ipse viderit. At in causa Catilinae quando quaeque facta sint, non magis e Salustio quam ex Consule cognoscas. Neque vero Ciceroni, ut ajunt, repugnat orator. Dilucide enim ille quidem in Pison. §. 5. 6. ea, quae strictim refert „extremo mense“ consulatus sui gesta, paucissimis diebus absoluta fuisse indicat: et plura refert, quam noster. Quamquam non sequitur, ut deinceps omnia, quae vel Sal. tradidit vel alii narraverunt, istis cohaerentia, tam angusto temporis spatio circumclusa fuerint, quum identidem haec causa postea in senatu tractaretur (ad Att. I., 14.). Verum enim vero injuria Crispo majorem in hac quaestione fidem plerique tribuunt: sunt enim, in quibus auctoris error manifesto deprehenditur. Primum, quod c. 29. senatus consultum, quo consulibus summa potestas demandata esset, factum esse refert post eam noctem, qua Catilina in domum Laecae coitionem fecerat: quae nox consecuta est posterum diem Nonarum Novembrium (Cic. p. Sulla c. 18. §. 52.); fuit igitur ante d. VIII. Id. Nov. At prima in Catilinam oratione, in qua noctem istam superiorem appellat (c. 4.), quaeque habita est VI. Id. Nov., Cicero vicesimum jam diem habere se testatur hujusmodi senatus consultum, ex quo confestim interfectum esse Catilinam conveniat. Quod senatus consultum, ut et per se perspicuum est, et Asconius

ad Pis. §. 4. (Orell. Vol. V. p. II. pag. 6.) declarat, illud ipsum fuit, quo res publica commissa consulibus est. Attamen, ut in hoc etiam scriptorem ita excusatum habeas, ut ea, quæ ad Manlium pertinerent, inde a med. cap. 28. ad fin. c. 30. suo loco repetita atque inserta videri dixeris: alterum est, quod turpiter ignorat. Catilinam narrat incendii minas in senatu, postquam exire a Consule jussus esset, jactasse; sed constat ex Cic. or. p. Muræna c. 25. eadem ista verba a Catilina „paucis ante diebus" quam comitia dilata sint, jactata fuisse. Sed hi Duumviri libris abjudicandis tam parum accuratam temporum rationem habuere, ut rerum gestarum ordinem ex uno Sallustio vellent cognosci. Ego vero habeo, quod excusem summum rerum romanarum scriptorem. Is opus suum non ingenio solum sed magno artificio composuit, neque anxie, quando quæque facta sint, determinavit; prætermittit alia, alia prætermissa repetit; nonnulla, quæ paullo vel post vel ante acciderunt, loco opportuno collocat. In his omnino hujusmodi terminos usurpat: iisdem temporibus — dum hæc geruntur — interea — sed paullo ante — rel. Sic ea puto, quæ c. 49. narrantur, postquam judicium de conjuratis factum esset, quum Catoni oratione sua suspicionem movisset[7], tentata in C. Cæsarem esse. Quod, si recte tempora attenderis, luce clarius erit et confirmatur Suet. Cæs. 14. Ceterum illa, quæ Sal. Cat. 47. et 50. exponit, uno die confecta esse, satis, opinor, apparet, eodemque verba c. 48. „post eum diem" vix dubito pertinere, neque intelligo, cur ea uno senatu decerni non potuerint. Fuit autem is dies pridie Nonas; sed conjuratos paullo ante Nonas eodem teste Sallustio senatus judicaverat contra rem publicam fecisse.

7) Sal. c. 52. Sin in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert me mihi atque vobis timere.

At hanc ipsam formulam in quarta desiderat repetendam. Præterea Neronis, Cethegi sententias, quum orator L. Cæsarem appellaverit, requirit. Quid vero ad C. Cæsarem Cethegi sententia, quam de fratre eo ipso die laturus erat? Quid, quod Nero nonnisi debellato Catilina referendum censuerat, quo Consuli, qui celeriter et ante noctem vindicandum esse statuerat (Sal. c. 49. coll. or. IV. §. 6. 19.), veluti palma e manibus extorqueretur? Sed in his rebus sua potestate Cicero solebat opportune uti.

Quæ porro dubia de equitum studio in defendenda re publica (IV., c. 7. §, 15.) Ahrens. interrogationum cumulo (p. 116. 117 — 18.) velut uno spiritu effuso congessit, ea intacta malui relinquere. Et ipse ejus assensor, quamquam discedere ab illo non audet, tamen improbat. Res nimis nota est: unus locus qui est ad Att. I., 14., quem totum iste debuit apponere, sufficiet: „Etenim hæc, inquit, erat hypothesis: de gravitate ordinis, de equestri concordia: nosti in hac materia sonitus nostros.“ Neque ipse criticus rem ignorat (p. 121. med.), sed hæret in hodierno die (IV., §. 15.); scilicet abreptus impugnandi veritatem studio non vidit, iisdem Nonis, quæ sexcenties laudantur, primum a Consule ante ædem Concordiæ, ubi senatus habebatur, equitum præsidium[8]) collocatum esse. Ceterum sive ille, sive alius dies ordinem equestrem senatui reconciliavit, temporis initium orator parum curat. Talia in hac oratione plurima inveniuntur exaggerata vel repetita, quæ causæ et tempori concedas. Sic hodiernus dies“ §. 15. 18. 19. ter vel quater occurrit; juxta „hic dies“ §. 15. Ejus generis alia duo sunt, quæ adversarius, ut salva græcitate dicam, anachronismos haberi voluit: v. c. §. 3. „circumsessum me video“, et §. 6. „multas provincias malum peragravit“; quod utrumque negat a quo-

8) Cic. Phil. II, 8. ad Famil. X., 12.

quam, qui Imperatorum ætate superior esset, dici potuisse. Esset hoc sane grave argumentum, si vel orator distincte meditateque diceret, vel criticus (p. 139. 145.) aliquid probasset. Neque enim, quod verba praecedunt „transcendit Alpes", consequitur, ut provinciæ istæ trans Alpes sitæ sint; et sustinentur hæ „multæ" alio loco, p. Sulla 19. §. 53. (coll. Sal. c. 27.) „in agro Camerti, Piceno, Gallico, quas oras quasi morbus quidam illius furoris pervaserat." — Altero autem loco cognatos et domesticos, qui mentem oratoris domum revocant, patet eos non esse, qui consulem in senatu circumsedeant. Senatores sunt, ut frater Quintus: et circumsederi in curia consulem etiam stante republica moris fuisse, ex C. Cæsaris internecione compertum habemus. Ceterum confer, quæ Cic. lamentatur pro Milone c. 37. §. 102.

Postremo male habet, qui ibidem (§. 15 — 17.) reipublicæ studiosissimi recensentur, tribunos ærarii, libertinos, servos, opifices, præ ceteris vero scribas, genus vix usquam alibi locorum molestius visum, Ciceroni honestissimum [9]). Diligenter quidem et acute Ahrens. in eam rem inquisivit (p. 126 — 138.), cujus summa et quasi vertex sortitio scribarum est. Primum enim locum orationis manifesto corruptum ex optimis libris in hunc modum constituit: scribas item universos, quos quum casu hic dies ad ærarium frequentasset, video ***ab amore debitae pecuniae et*** ab exspectatione ***hujus*** sortis ad communem salutem esse conversos. Deinde reprobata penitus scribarum sortitione, quem errorem putat grammaticorum e falsa Ciceronis (in Clod. et Cur. fr. II., 6. Orell. V., 2. pag. 332.) verborum interpretatione natum esse, locum

9) Est honestus ordo, quod eorum hominum fidei tabulae publicae periculaque magistratuum committuntur: in Verr. III, 79.

sic explicat, ut sortem tanquam mercedem dictam intelligat, quae scribae daretur. Quae rei expositio, etsi ipsius Ciceronis testimonio, qui scribas mercenarios vocat in Verr. III., 78.[10]), firmari possit, tamen neque auctoritatem habet latinam talis vocabuli usus, neque Orellio, quamquam PRÆCLARE AHRENSIUS huic loco universo subscripsit, satis fecit. Huic enim scribae consulares, praetorii, aedilitii, quaestorii iis diebus, quibus senatus haberetur, ad aerarium sortem duxisse videntur, a quibus nam perscribenda essent senatus consulta, qua in re esset aliquid emolumenti. Quae quidem conjectura lectioni ut supra restitutae bene convenit. Solum, quod „casu" fit, impedit: quod Marklando causae fuit, ut aliam hujus atque pro Domo orationis conditionem esse statueret. Et est quidem alia. Istic enim scribae juxta equestrem ordinem magistratuum dignitati fere proximi habentur: hic vero sive a sorte sive a mercede ad audiendum aliquid novi convertuntur. At ego vocem „casu" cum „frequentasset" puto ita jungendam, ut nihil inde ad explicandam sortem repetundum sit. Eam autem non video quomodo vel jocose pro mercede orator collocaverit, quum non esset istis hominibus illusurus. Ceterum, ut nolo quaestionem absolvere, ita animus est pauca observare. Primum enim apud Romanos sortitio in rebus vel levioris momenti locum habuisse videtur. Sic ap. Virg. Aen. I., 507. 8. laborem partibus aequabat justis aut sorte trahebat: quod nisi Romanis ex more fuisset, poëta mihi videtur non inventurus fuisse. Contra decuriae, sive emebant scribae sive legebantur, non obstant, quin sortitos esse munia publica existimes, cum judices, qui legebantur in decurias, nihilominus quaestiones sortirentur. Ac nihil facit, quod Ahrens. obtendit (p. 133.) scribarum ordinem omnium eundem,

10) Confer Corn. Nep. Eum. 1.

judicum diversum fuisse: horum negotia omnium eadem, illorum varia. Nam referre in tabulas semper idem negotium est. Utrum autem et ingenui et libertini, an libertini omnes fuerint, incertum [11]). Denique vel provinciam quodammodo, i. e. præfecturam scribæ obvenisse, Horatius testatur Sat. I., 5, 34. 35. cum Scholiis. Neque negligendus est luculentissimus Plinii locus, Epp. IV., 12: (Egnatius Marcellinus) quum in provinciam quæstor exisset scribamque, qui sorte obtigerat, ante legitimum salarii tempus amisisset, etc. At corruptus est, inquit. Tamen una lectionis varietas est, Rom. cui sorte obtigerat, qua, si vera est, nihil mutatur. Mutatæ vero re publica eversa scribarum conditionis nullum hodie exstat indicium aut testimonium, nec certe Plinium diligentem effugere poterat. Quæ quum ita sint, declamatorem in ea re errasse, non magis credibile est, quam Ciceronem. Unde consequitur, ut hactenus in oratione nihil sit, quod Cicerone indignum judices. Quod reliquos attinet ordines, in eandem sententiam Cicero pro Sestio. 51. p. Sulla 10. in Pisonem 40. Phil. II., 7.

Sed spatium his quæstiunculis concessum monet, ut reliqua brevi absolvamus. Jam enim de inventione et dispositione orationis dicendum est. Sunt quidem multa, quae parum concinna, quae superflua, quae adeo aliena a consulis persona et tempore esse existimes. Sed operae pretium est, cognoscere, quam diversa viri doctissimi de hujus orationis consilio atque compositione judicaverint. Nam Middletonius [12]), quem Wolfius ipse

11) Quos Cicero p. Sulla §. 44. scribas suos appellat, senatores erant quos sciebat memoria, scientia, consuetudine et celeritate scribendi facillime, quæ dicerentur, persequi posse (ib. §. 42.).

12) Eum enim secutus est Reiff (Geſch. der röm. Bürgerkriege II, p. 334.), quem Orellius laudat in animadversionibus quartæ subnexis.

(praef. ad Marcellin. p. XIII.) de recta eloquentia non inscite judicare censuit, et Wielandus, clarissimus Ciceronis interpres, hanc quartam orationem quasi exemplar civilis prudentiae atque calliditatis esse judicant. At Nostri nihil ea miserabilius ex omni romana antiquitate noverunt. Equidem sic existimo: si verum est, quod hi viri dd. pronuntiant, cum haec quarta plane abhorreat ab istis, quae injuria Ciceroni injunctae sunt, orationibus, intelligi vix potest, qui factum sit, ut auctor quartae prorsus, ut putant, gnarus rerum gestarum tam egregiam vel gloriandi vel exspatiandi occasionem omiserit, nec nisi in iis, quae praesentem occupassent atque sollicitum habuissent, versatus sit. Tamen ego, quum scholis orationes Catilinarias explicarem, nescio quomodo in hanc suspicionem incidi, habere nos veras quidem Ciceronis et relationem „salutarem illam atque diligentem" (in Pis I., 14) et orationem, habitas Nonis Dec: sed relationem intercisam forte ac mutilam, sive esset ab ipsis Ciceronis notariis 13) ita contracta et circumcisa, sive a serioris aetatis librariis depravata: cui inde a cap. IVti initio ea pars veluti adsuta foret, qua sententias Cicero interpellavit. Quae suspicio quam prope a vero abesse videatur, in doctiorum hominum judicio ponam. Nam si verba „institui referre ad vos" etc. §. 6. cum initio §. 7. „Video duas adhuc esse sententias" contulerit, hiatum quendam orationis in isto loco deprehendi, vix quemquam puto negaturum esse. Mihi vero hac ratione omnia bene procedunt, neque est, quod Consulem aut inconstantiae aut languoris aut repetitionis arguam. Jactantiae vero poenas satis dedit, cum quinque eo nomine orationes exstent subdititiae. Quin etiam haec culpa levari poterit, si hanc quam dixi viam inierimus. Nam neque exordium istud hu-

13) Conf. or p. Sulla c. 14, §. 41. 42. et quam paulo ante citavi §. 44. Qui loci laud. exciderunt Part. primae nota 68.

jus orationis, si pronuntiatum sit, antequam consultaretur, nimis esse gloriosum, neque ea quae §§. 4. et 5. referuntur, tum etiam abesse a suo loco videantur. Omnem autem relationem ita institutam esse, ut senatui, et de facto quid judicaret et de poena quid censeret, tanquam integrum relinqueretur, nemo forsan mirabitur, qui Salustii dumtaxat sensum investigarit, quum dicit (c. 50., 3.): „refert, quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi essent;“ nec sine vi quadam addit: „sed (quasi dixerit: quamquam) eos — contra remp. fecisse.“ Sin autem illud Ahrensio mirum videtur (p. 84.), quod Cicero postea, quo invidiam rei gestae restingueret, non ad quartam provocaverit, „incomprehensibilem et lubricam orationem“: is quidem et facto coarguitur et ipse sibi repugnat. Nam idem pagg. 60 et 69. Consulem tum nihil suasisse, nihil imperasse, tum commonefecisse animos et judicasse, ex ipsius variis testimoniis evincit; ac nostram orationem modo vehementiorem modo timidiorem esse perhibet. Verum Cicero p. Mil. 14. sibi actionem indicat perduellionis imminuisse, qua non tam quae dixisset, quam quae gessisset, horum reus fieret, ut orationis qualiscunque illo tempore dictae usum jam nullum haberet.

In perpendendis deinde singulis verbis ea praetermisi, quae sive Steinmetz. in sua editione 14) satis bona auctoritate fir-

14) M. Tull. Ciceronis oratt. etc. rec. et expl. J. B. Steinmetz. Magunt. 1832. Sunt autem haec: §. 1. eam (voluntatem) deponite: anaphora ut pro Murena §. 31. extr. — §. 2. in quo aequitas continetur: de Off. I., 43. — Sedes honoris, sella curulis: Liv. IX. 46. §. 9. — pro eo ac: Fam. IV. 5. ep. Sulpic. ad. Cic. — obtigerit: Ter. Andr. III, 5. Phorm. IV, 1, 11. Cic. in Pis. 39. med. [Adde Horatium, cui Epod. 4, 1. „obtigit discordia.“] — §. 5. multis judiciis judicatis: [Phil. I, 15. al. — cogere, ut: Verr. II., 17. Orat. III, 3, 9. — §. 6. inclinant: emendavit, omisso de. — sustentando: iisdem locis, quos Ahr. p. 206. attulit. — §. 7.

mavit, sive Madvigius, qui totus esse in sanandis locis videtur, recte constituit. Primum quod Patres Conscriptos frequentissime in hac oratione, in ceteris raro compellat, ex eo profectum puto, quod illa e senatus periculis mere sit excerpta, neque ad Oratoris modum elaborata atque composita, reliquæ vero legentium oculis vel auribus accommodatæ. Dein §. 10. vocabulo „istis“ utique neminem significavit nisi eos, quos adspexit in senatu, quos populares haberi se velle sciret. Sane plus ausus est Cicero, quam hæc dicere. „Nonneminem“ ibid. plures uno esse, satis notum; sed unde Ahr. sciverit, hanc vocem cum numero plurali jungendam fuisse, cum Cic. „is affecit“ addiderit, equidem nescio. Porro non habet auctoritatem, qua verba muniat §. 2. „fatale ad aliquid“: en, habes Livium V., 48. sane „egregium auctorem latinitatis“ (Ahr. p. 117.). Prædicere autem h. l. (§. 6.) nil aliud quam serio præmonentis est, ut sæpe. Quid enim aliud est, quod statim sequitur, quam ut graviter moneat cohorteturque senatores, ut ante noctem statuant, celeriter vindicent. Sed manca, ut dixi, illa, quæ antecedunt, esse opinor. Nam minimum quidem „Jam“ præpositum alteri sententiæ („illa prædicam“) exspectes. Concionator: eodem sensu concionari occurrit, i. e. magno strepitu proclamare, Tusc. I., 49. V., 20. et concionarius populus, ad Q. fratr. II., 3. Substantivum autem hic maxime opportunum esse, quis non

acerbitates: p. Rabir. 5. — §. 9. cognitor: Schol. Ambros. — §. 10. nonneminem: eod. — in pernicie: de Off. II., 22. p. Sext. 51. — §. 11. obtinebo: Verr. III, 71. al. — §. 12. importunus ac ferreus: de Fin. I., 10, 55. — §. 16. fortunam civitatis: de Off. I, 13. p. Mil. 35. §. 92. — §. 17 sellæ atque operis: fragm. Cic. ap. Augustin. De Off. I., 42. — nisi vero: emend. immo vero, e scr. compendio. — sustentatur: de Prov. Cons. 5. de lege agr. II., 28. al. — §. 22. conspirationem: de Fin. I., 20. et al. multis. — §. 23. pro his igitur: de Fin. III., 5. al.

derit, qui meminerit verborum affinitatis δημαγωγὸς et δημαγεῖν? „Frequentasset,“ pro frequentes advocasset, quod nnulli præbent codices, sive congregasset, positum, haud ita ıltum abest ab ejusdem verbi usu Cic. Or. 25. cf. Plaut. Cill. I., 1, 10. „Lenonem“ vero Lentuli declamator certe non venisset, qui potuit ex libertis et paucis ex clientibus ap. Salust. 50. turbas quam maxime terribiles exsuscitare. Neque tam negenter scripsisset, ut eundem terminum in uno loco ter vel ater (§. 15.) indicaret, aut verbum „video“ in eadem sententia poneret. Nam de particularum usu non Asconium appellabo, qui vocibus „ac neque“ (or. p. Scauro) valde dubitat, sed move- „merita viri auctoritate.“ Denique vides, quam pauca sint, ıe notentur, quum in orationibus vere dubiis vix unam pagel- ı pervolaris, quin soloecismorum quasi farraginem deprehendas. ipse adversarius ingenue fatetur (p. 195.): „habet illa qui- ı verba Ciceroniana, et, si non sit Ciceronis oratio, non repe- ır alia oratio, cujus similitudinem prae se ferat.“

Restat ut antiqua de hac quarta oratione testimonia recenm. Testes autem ita distinguuntur, ut alii orationem suo noe laudent, alii sententiam aliquam ex ea, quam habemus, ora- e, tamen non nominatim indicata, repetant. Et prioris generis auctoritates duæ jam in prima particula disquisitæ, quarum vissimam, quæ est Cic. ad Att. II., 1., non est quod retra- ı: de altera, Plutarchi Cic. 21., pauca videri possunt animadenda. Is enim non solum orationem consularem eo nomine ıcit, sed mentem quoque et consilium oratoris satis dilucide cribit. In quibus quamquam, ut dixi I., p. 24., quam vere Cons sententiam retulerit, quæri potest, tamen non potuit non monstrare orationem, quæ hodie exstat. Sed Ahrens. hanc lem esse, quam Plutarchus viderit, non disputat; negat Cices esse. Nam Plutarcho non fidem solam sed judicium omne

derogavit: tamen ita, ut incertus Declamator in Salustium cum invido Ciceroni scriptore, Dione Cassio, in auxilium advocetur, et ipsi iterum Salustio in referenda verbotenus Catonis oratione plus fidei [15]) tribuatur, quam nostro in recensenda breviter consulari. At Plutarchi auctoritas, ut centies infirmissima sit, in hac causa egregie confirmatur antiquo quodam ad IV. Catil. commentario, quem Majus ex codice sec. X. scripto edidit (Orell. V. 2. p. 369). Is quum et latinitate multum præstet Scholiis Gronovianis, et librorum vel adeo Invectivarum inscriptionis nullam habeat notitiam, sane paullo antiquior est istis, et longe superior Grammaticorum ætate, qua nomen collectionis IV orationum exstitit. Cfr Part. I, p. 18. — At, inquit, cur Asconius nullam hujus orationis mentionem fecit? — Paucissima tantum habemus eorum, quæ Asconius in Ciceronem scripsit, et ea quidem casu reperta. Verum id novimus ex iis quæ exstant, Asconio subdititias in Catilinam orationes incognitas fuisse, quum idem (Orell. V., 2. pag. 95.) ad Or. in Tog. cand., ubi satis causæ erat, Pseudo-Cicerones, si qui fuerant, notandi, subditas Antonii et Catilinæ declamationes eo nomine referat, Ciceronis vero nullas. Igitur si spuria est Catilinaria IV., Asconio recentiorem eam esse oportet. Sed antiquus ille Ambrosianus commentator tam prope abesse ab Asconii ætate videtur, ut intelligi vix possit, quomodo hic homo doctus talem fetum inquilinum sibi recentem atque integrum injungi passus sit. Tanto major hujus etiam brevissimi commentarii auctoritas esse debet in aestimanda or. IVta: ut tandem prorsus fidem excedat, inscientibus his viris criticis primam Catilinariam fere solam quasi Seminarium Catilinariarum orationum exstitisse.

15) Tamen vide, quæ Orellius ad I. in Cat. §. 7. observat. Idem ad III. 5, quod supra omisi, supplicationem Consuli decretam, antequam de conjuratis judicatum sit, egregie munivit Cic. Phil. II., 6. coll. ad Fam. XV., 4. al. Nam illo loco luce clarius est, supplicationis decretum certe non posterius fuisse, quam dictam a L. Cæsare sententiam (in Cat. IV., §. 13.)

Denique una est in oratione sententia, quæ toties repetita atis documento esse debet veritatis: §. 3. nam neque turpis iors forti viro potest accidere, neque immatura consuari, neque misera sapienti. Antiquissimus eam Cicero ipse ibi vindicat (Phil. II., 46.): proximus Seneca: deinde Quintilianus et Dio Cassius; qui omnes alius alio modo celebrem isam vocem non indicato fonte repetunt: duo priores tanquam noum Consulis dictum referunt. Phil. II., 46. Cic. ait: „abhinc innos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem mmaturam esse Consulari.“ Scripta est oratio, quasi habita esset l. XIII. Kal. Oct. a. U. 709: nostram constat habitam Non. Dec. 690: ex quibus numeris, comprehenso utrimque extremo, viginti fficiuntur anni. At prope, inquit, non sine causa additum est. — Recte: desunt enim menses duo et sedecim dies. — Sed tales res ninutas quærere non debet orator. Igitur necesse est, totus nnus desit. — Tamen ex his rebus Ciceronem laudem eruditionis quaerere solitum esse, Ahr. vidit (p. 43.): unde igitur jam tanta harum rerum incuria? — Additis prope, pæne, vel similibus numeri infiniti indicantur. — Male: nam pæne nunquam numerum indefinitum indicat, potius aliquanto majorem minuit; contra prope omnino dubium relinquit: Liv. I., 48. propediem spatium XXV. annorum comprehendit. Sed vere consularis annus in exordio et fine orationis tam clare ac perspicue indicatur, ut disputari nequeat. Ait enim: „ut nemo his annis viginti reip. fuerit hostis, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit“. An Cicero Rullo et Catilinæ his verbis parcere voluit, neque injurias sibi ab hostibus reip. inlatas nisi a Metello pl. tribuno numerat? Sed is est Ahrensius in computandis Romanorum temporibus, ut etiam Asconium in ea re corrigat, quam præter ipsum hodie nemo scire potest. Hic enim ad Catil. I., §. 4. numerum non convenire, animadvertit: esse duodeviginti dies. Ille vero decretum a. d. XII.

Kal. Nov. factum statuit, atque viginti dies ita dinumerat, ut Nonas bis addat, Kalendas vero, ut decet, semel. In quibus quæ sit computandi regula, ego non assequor. Id vero non perspexit, causam fuisse, cur orator, qui vocem certo quodam momento jactatam repeteret, accuratius numerum circumscriberet; quæ non eadem fuit, quum ad inimicitias per tot annos propagatas animos revocavit Phil. VI., 6. XII., 10. Præterea Cicero adjecit: „hoc ipso in templo:“ is sane non solitus senatus habendi locus. Est autem (c. 7.) ædes Concordiæ, in qua Non. Dec. Consul retulit, templum „in quo ego senatum consulebam“ (ib.). An luculentius eam rem testari poterat, quæ fere teste non indiget? Nam si Muræna et Silano Coss hæc verba fortissima in Senatu edidit, quid est, quod nulla ejus rei gravissimæ mentio in epistolis inveniatur? Quæ tandem iste contra vocem „consulari“ in medium protulit, plane ridicula sunt. Vir consularis Cicero futurus erat eo tempore, quo abdicato magistratu (v. supra p. 15. ad p. Mil. 14.) tribunorum impetu incessi posset, quod consul non potuit. Itaque rectius, quam Ahrensio videtur, Dio Cassius hunc locum ita interpretatus est: *μνημονεύετε, ὅτι τοῦτο καὶ ἐν ἀὐτῇ τῇ ὑπατείᾳ ὑμῖν εἶπον.*

Eadem illa verba Seneca rhetor (Suas. 6.), qui vixit Augusti ætate, eadem Quinctilianus (VI., 3, 109.) a Cicerone repetunt; tamen hic ita refert, ut gravem dicat mortem, non turpem. Sed e memoria prodit, additque: et est, quum (Cicero) dicit. Novit igitur Ciceronis non *ἀπόφθεγμα*, sed orationem, in qua ista verba reperirentur. Atqui exstat hodie ejusmodi oratio. Quid ultra? Jam enim satis documentorum conquisisse mihi videor, quibus id, quod defendendum hac levi opera suscepimus, non admodum rigidis censoribus comprobari posse arbitremur.

Hæc præfati pro vindicandis clari Consulis honoribus, non nauspicato horum studiorum juxta atque artium Tutoris ac Fautoris

Guilielmi Regis Augustissimi Natalitia

indicimus. Quem diem festum ut rite celebremus, hora ejus undecima in auditorio hujus Gymnasii majore collega carissimus et festivitate probatissimus

Theophil. Fried. Eyth

orationem vernaculo sermone habebit, qua exponet

Celeritatis, qua nostra aetas agitetur, principium atque momentum.

Cui celebritati ut adesse velint, omnes urbis hujus incolas, ad quos hoc pietatis studiorumque consortium pertinet, Rectoris et Collegii nomine ea qua decet observantia rogo.

Scrib. Heilbronnæ a. d. XII. Kal. Oct. MDCCCXXXVII.

Errata.

p. 6. lin. 2. ab imo l. 50. p. 51.
— 13. — 9. — — — superflua.
— 16. — 19. a sup. — Liv. V., 19. p. Liv. V., 48.

Omissum.

Ad not. 6. — Quid intersit inter senatus consultum et decretum, Ahrensius bene discere poterat ex Petisci Lex. antiqq. romm. Vol. I., p. 637.

Photomount
Pamphlet
Binder
Gaylord Bros.
Makers
Syracuse, N. Y.
PAT. JAN 21, 1908

597006

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY